2

Rectore Magnificentiſſimo, Sereniſſimo
Principe ac Domino,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
Electoratus Brandenburgenſis Hæ-
rede &c. &c.

Conſenſu Gratioſæ Facultatis Medicæ
DISPUTATIONEM INAUGURALEM

De

PASSIONIBUS ANI-MI CORPUS HUMANUM VARIE ALTERANTIBUS

Præſide
DN. GEORG. ERNESTO STAHLIO,
M. D. ac Profeſſore Publ. ordin. h. t. Facult. Decano
pro DOCTORALI Dignitate,
Immunitatibus atqve privilegiis rite impetrandis,
publicæ Eruditorum Diſqviſitioni ſubmittit

JOHANNES JACOBUS Reich / Kron-
weiſenburgo-Palatinus.

Die 6. Maj. 1695. in Auditori Majori horis ante- & pomeridianis.

HALÆ
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, Regiminis Elect.
Brandenb. Typographus.

Th. I.

OMnia à DEO O. M. pulcherrimo ordine, certa proportione, pondere, ac menſurâ, qvàm ſapientiſſimè creata eſſe, non modò ſacræ paginæ nos docent; ſed & oculis noſtris cernere licet, adeò ut qvamdiu corpus aliqvod in ſuo ordine ac harmoniâ cum reliqvis, poſitisqve à Creatore limitibus, ſubſiſtit, tamdiu in ſuo conſervetur Eſſe, qvibus in qvacunqve Creatura ſublatis, perit illa, qvo ad Individuum atqve aliam faciem formamqve induit.

Th. II.

Perſpicue & clarè ſatis hoc videmus in Hominè, cujus ſanitas, vita, & Conſervatio, in Animi Tranqvillitate, & inde æqvabili & proportionato Motu partium ſolidarum, ac per has Sangvinis, reliqvarumqve partium fluidarum, potiſſimum conſiſtit. Hæc ubi turbantur, tota humani corporis machina langvet, titubat, ac periclitatur.

Th. III.

Non ſine magnâ ratione dico, ad hominis ſanitatem primariò reqviri Tranqvillitatem Animi, uti enim in hâc ſumma hominis felicitas moralis conſiſtit, ſic etiam non minus ab animi motibus reliqva ferè omnia Phyſicè in corpore humano contingentia, dependent. Sangvis enim, qvatenùs materiale qvid eſt, ne qvidem ſeipſum movere ac conſervare, minùs igitur cor-

pus humanum, poteſt, ſed reqvirit, Ens nobilius. Qvùm autem omnis motus in homine propter certum ac determinatum aliqvem finem fiat, cùm etiam omnes actiones, vitales æqvè ac animales & rationales, in pulcherrimâ harmoniâ & indiſſolubili connexione vigoris, ſubſiſtant, non immeritò colligitur, Animam eſſe, qvæ omnes in corpore motus, ſive ordinatos ſive inordinatos, ſive vitales, ſive animales, ſive ad corporis ſuſtentationem, ſive ad ejus deſtructionem facientes, ſive recte ſive erroneè, immediatè efficit, adeoqve Tranqvillâ ac vegetâ Mente, circà Motus omnia Tranqvilla ſunt.

Th. IV.

Ab Animi igitur Paſſionibus, à qvibus Motus humani corporis variè determinantur, diriguntur ac alterantur, plurimi morbi ac ſymptomata, originem ſuum ducunt & harum reſpectu qvæ aliàs ut cauſæ multorum morborum afferuntur, occaſionales ut plutimum ſaltem ſunt.

Th. V.

Ex Galeno qvidem plerumqve allegari ſolet, Mores Animi ſeqvi Temperamentum corporis, qvod in tantum verum eſt, in qvantum corporis ejusqve humorum varia diſpoſitio, occaſio variorum animi motuum ſæpius exiſtit; ſed contra magis verum eſt, ſi rem aliqvantò accuratius perpendamus, & animam ut Principem cauſam omnium eorum, qvæ in humano corpore, ab intra fiunt, conſideremus, Temperamentum Corporis, ſeqvi Mores Animi.

Th. VI.

Cum enim aliud Tempamentum [ſeu mutua proportio partium ſolidarum & fluidarum] ſit connatum, aliud aſcititium magis, in priore qvidem, Anima ideam agendi, qvam hæreditario tranſitu ſuſcepit, tanto luculentiùs in ſtructura corporis exprimit [unde ipſa ſimilitudo infantum cum parentibus in animi moribus & corporis lineamentis.] In poſteriori verò ita variat negotium, ut modò alteratio aliqva univerſalior & diuturnior corporis, modò animi Morum alteratio, à rebus Phyſico-mora-

libus

libus inducta, alterationes Temperamenti ſenſim introducat. Id eſt: prout motus in corpore vitales in expedito ſunt, aut minus; ita & mores animi ſeu Motus ad res Morales: Et contrà.

Th. VII.

Hinc nova Conſvetudo, arbitraria etiam & fortuita, & qvæ prorſus ab Animi Moribus pendet, uti antecedentem ſubcontrariam certè alterat, etiamſi non ſemper in totum tollat; ſic etiam corporis Temperamentum [id eſt, negotium motus Humorum ad & per partes ſolidas] ſenſibiliter qvoqve mutat. Qvamvis enim prototypus Paſſionum ac inclinationum Animi, præcipuè hæreditariè impreſſus, & per conſvetudinem confirmatus, non planè invertatur, ſic, ut paſſio dominus per Conſvetudinem contrariam in ſecundum, minus in tertiam locum cedat, ſed ordinem retineat, utiqve gradus tamen variant.

Th. IIX.

Sunt autem paſſiones Animi, motus ſive inclinatio voluntatis, tendens ſe cum rebus gratis unire, & ingrata fugere vel repellere: & hoc motibus Corporis ita in effectum deducere.

Th. IX.

Iſtæ paſſiones vel excitantur à forti rerum externarum impreſſione, per ſenſoria corporea externa, unde motus extraordinarius ſangvinis ac reliqvorum humorum ſubſeqvitur, proportinatus tamen prout mens ſibi per Individua conſtat; vel magis primordia ſua ſumunt à Conſvetudine inclinandi animum verſus certa objecta, eaqve vel conniatâ vel conceptâ opinione de rebus ſenſualibus, aſſumtâ, uno verbo à Paſſionibus Dominantibus generalibus, qvæ tanqvam Parentes particularium commotionum excitandarum ſunt.

Th. X.

Iſtæ Paſſiones, qvæ magis ab intrà excitantur, qvam ab objectis externis, plerumqve cauſæ remotæ ac mediatæ morborum eſſe ſolent; qvæ verò à fortiori objectorum externorum impreſſione oriri ſolent Paſſiones, magis immediatæ ac proximæ morborum ſunt cauſæ Efficientes.

Th. XI.

Cùm autem Paſſio Dominans, apud homines variet, ſic, ut alii ſint in ſummo gradu cholerici, alii Melancholici, alii ſangvinei, alii Phlegmatici; Alii gaudeant Temperamento magis compoſito, ut ſangvineo Cholerico &c. proinde qvoqve alii præ aliis ad certos variosqve morbos diſpoſiti ſunt: Aliis etiam certæ paſſiones interdum, præ aliis, utiles eſſe poſſunt. Prout nimirum à Motu & Inclinatione Animæ variè, corpus, & humores in eo, moventur, diſponuntur & in ſua craſi vel pervertuntur, vel obſtructiones naſcuntur, vel interdum tolluntur. &c.

Th. XII.

Cholericum Pathema, ubi Paſſio Dominans Cupiditas Emergendi, honores conſeqvendi & in alios dominandi; modus perpetrandi, præceps ac propera activitas, neqve conſultationem neqve moram ferens, pro variis in qvibus vivunt conditionibus, qvæ dominantem Paſſionem temperant ac alterant, diverſorum etiam morborum Cauſa eſt, tàm remota, qvàm etiam proxima. Unde in activas admodum commotiones ſeu acutos & convulſivos morbos facile incidunt. Si literati ſint, ob crebras ac præcipites meditationes capitis doloribus, agrypnys, catharris acribus, doloribus lancinantibus obnoxii ſiunt, in hecticam & Phthiſin qvoq; proni ſunt, præſertim ſi ſint Melancholico-cholerici, qvibus Livor cor abſumit.

Th. XIII.

Melancholicorum Temperamentum, uti triſtiſſimum eſt, ſic in perpetuo vivunt metu, ac propter continuam dubitationem de futuris ſucceſſibus, ſummum eorum deſiderium eſt, acqviſito indubiæ ſecuritatis, & hujus maximi nervi, bonorum; Hinc in perpetuis vivunt ſolicitudinibus in morbos Chronicos aſſiduos, anxietatibus & trepidationibus conjunctos, hecticam, qvartanam Malum hypochondriacum, palpitationes Cordis, Melancholiam, & ſimiles, præ reliqvis ſunt proclives, qvi obſtructionibus à ſangvine nimis craſſo vulgo adſcribi ſolent, qvi etiam è con-

è converſo occaſionalis cauſa melancholicorum animi pathematum exiſtit.

Th. XIV.

Qvantisne ac qvot malis atqve ſymptomatibus ſangvinei mediatis ſuccesſibus, ſunt ſubjecti, qvi fræna cupiditatis, ac depravatæ voluptatis ſenſualis laxantes, ex inordinato vitæ regimine, cum gulæ nimium indulgent, & venere abutuntur, ventriculi fermentum iners reddunt, ac vitale robur deſtruunt; Hinc apepſia, anorexia, Arthritis, podagra, calculus, Lues venerea, paralyſis & apoplexia, hinc febres &c. & qvæ mala ſibi non contrahunt? præcipuè verò ſi ſegne otium, [qvod ipſis gratum eſſe ſolet,] concurrat, variæ obſtructiones, & inde inflammationes ſubſeqvuntur.

Th. XV.

Phlegmatici, torpidi, ſegnes, otioſi, lentis tenacibus humoribus ſeroſis locum præbent, laxamqve atqve negligenter obſervatam habent corporis ſolidi firmitatem: unde & facile obhæreſcunt mucidi humores, in partibus flaccidis, & abeſt omnis lubido ad commotiones, & omnis qvoqve aſſiduitas in agendo; Invaleſcunt itaqve Tumores, obſtipationes viſcoſæ, ſcirrhoſæ, cruditates in primis planè viis coacervantur, Diarrhæis interdum anſam præbentes; In partibus ſolidis paralyſes, ſtupores, à rationis exercitiis, gravitas & dolor obtuſus capitis, vertigo, oculorum hebetudo, lippitudo, auditus debilitationes, affectus deniqve ſoporoſi &c. Interim in omni motuum genere, potiùs defectus qvàm exceſſus inde ingruunt.

Th. XVI.

Omnes qvidem pasſiones in eo conveniunt, qvod ſint deſiderium ſive Cupiditas ad præfixum aliqvem finem reſpiciens & tendens, uti ex definitione ſuprà datâ videre eſt; ſed prout Ani ma tendit ſe cnm objecto externo vel unire, vel illud fugere, ve etiam illud repellere, ita varios etiam Motus in proprio corpore excitat, qvi tamen ad duo potiſſimum genera, ut & morbi inde oriundi facilè reduci poſſunt, vel enim Anima radios influentiæ

ſuæ

ſuæ [ut ita loqvar] à centro verſus peripheriam fortius emittit, ſicut motus fiat auctior, vel à circumferentiâ verſus centrum illos retrahit, ſic ut motus imminuatur, vel ad tempus planè tollatur.

Th. XVII.

Impresſio qvæ fit ab objectis externis in excitandis affectibus, vel adeò fortis eſt, ut nemo hominum ei in totum reſiſtere posſit, qvoniam ſcilicet nulla eſt proportio inter tale objectum externum, & ſtatum animæ. e.g Terror à tonitru improviſo, vel fulmine &c. vel impresſio iſta non adeò fortis eſt, qvin ne minimum qvidem aliqvi ab objectis ejusmodi commoveantur, qvod magis à pravâ conſvetudine vel Pasſione Dominante dependet, qvàm à naturâ objecti v.g. qvando Potator vel Luſor videt vitrum vini, vel chartam luſoriam &c. Interim hoc qvoqve utroqve loco, pathema magis fundatur in æſtimatione morali, qvam in actu phyſico ſeu proportione reali objecti ad effectum producendum.

Th. XIIX.

Nihilominùs fortisſimæ illæ impresſiones extrinſecus agentes, omnes homines [diverſo tamen gradu] afficientes, non facilè tantas in hominibus turbas excitant, qvam illæ, qvæ à Temperamenti vitio magis pendent, qvàm ab objectis externis, niſi his fortè in illis qvi ſunt delicatuli; Fortes enim à talis modi non facilè adeò commoventur, ut ſanitas eorum exinde periclitetur & detrimentum capiat, contrà autem eò facilius ab aliis animi pathematibus afficiuntur: Nihilominus ſemper vel ad Temperamenti vel Pasſionis Dominantis naturam eſt reſpiciendum, illi enim qvi facilè irâ corripiuntur, à terrore & metu parum afficiuntur, qvi vero Meticuloſi ſunt, irâ non adeò facile perturbantur.

Th. XIX.

Notandum etiam, iſtas pasſiones, qvibus aliqvis aſſvetus eſt, non facilè immediate nocere, niſi maxime excedant, vel qvod pesſimum eſt, ab aliâ contrariâ pasſione ſupprimantur, qvod ſæpius cum gravi periculo accidit, omnis enim mutatio

ſubita-

ſubitanea periculoſa, ac qvo magis ſubitanea, & qvo magis ſibi invicem contrariis, affectus, maximè irritati, ſupprimuntur, eò periculoſius eſt, qvod præſertim in ira obtinet, ira enim per ſe corpori alias ſano non magnoperè nocet, modò proportionate ſedari & ad Tranqvillitatem reduci poſſit animus, qvod tamen difficile eſſe non negamus.

Th. XX.

Interim, etiam ſi Anima in qvadam functione impediatur, ſubitanea qvædam commotio utilis eſſe poteſt, qvod tamen rariùs ac extraordinariè accidere ſolet: Ordinariè iſtæ Animi Paſſiones bonæ homini ſunt, qvæ corpori ipſius proportionatum motum ſangvinis conſervant, illæ verò malæ, qvæ proportionatum motum turbant, ac tollunt. Ut autem ſpecialiùs excedentium qvorundam affectuum commoda effectusqve magis immediatos videamus, qvasdam annotabimus hiſtorias ex qvibus Animi Pathematum proprietates magis patefient.

Th. XXI.

Et qvidem Iram primo loco, qvod attinet, refertur qvendam 4. annos mutum, in vetulam, ſibi fortè fortuna obviam factam indignabundum, eam increpaſſe, indeqve loqvelam ſibi reſtitutam ſenſiſſe, *Act. Haffn. vol. 1. obſ. 71.* Ex antiqvioribus monumentis, Croeſi filius mutus in lethali periculo Parentis, locutus. Sæpius autem pesſimum Iræ videmus effectum, & exemplum antecedenti directè contrarium refert. *Val. Maxim. l. 1. c. 8.* Atheníenſis nimirum cujusdam, uxorem ex indignatione loqvelam plane amiſiſſe. Multos qvoqve propter vehementiam Iræ apoplexia, paralyſi, febri continua, aliisqve gravisſimis morbis correptos obſervaſſe ſe, teſtatur *Fab. Hildanus in Epiſt. I. ad Æmil. Portum.* Mihi ipſi nota ſunt exempla qvosdam ex ira ſuppreſſa, in febres acutas, ipſis lethales, incidiſſe.

Th. XXII.

In vulneribus, ira admodum periculoſa eſt, habet enim antecitatus Autor, Juvenem qvendam cui caput vulneratum & cranium fractum erat, vulnere feliciter ad ſuppurationem perducto, omnibusqve ſymptomatibus remisſis, imò ab omni periculo [ut

 ipſe

ipſe loqvitur] liberatum, elapſo jam decimo qvarto die, ad Iram provocatum, recidiſſe in febrem, & phreneſin, ita ut qvarto poſt die, è vitâ deceſſerit, *obſ. 18. cent. I.* Per vehementem enim illam animi commotionem, circulatio ſangvinis nimis fuit adaucta, inde membranæ cerebri inflammatæ ſunt, ac tùm venæ tùm arteriæ ſangvine turgebant, uti poſt cranii aperturum id oculis patebit; Et non tantum in vulneribus capitis & Nervorum, verum etiam in ulceribus, admodum infeſtam eſſe iram, & ſæpè ſanationem impedire, varia docent exempla, qvæ apud Hildanum videri poſſunt. *Cent. V. obſ. 75.* In Lacte nutricum tantùm efficere poteſt ira, ut lactantes pueri ſæpius epilepſiam, freqventiſſime graviſſima tormina, inde contrahant.

Th. XXIII.

Mœror ac Triſtitia, qvamvis ordinarie morbos Chronicos producant, ut paſſiones lentæ, & ad motus in Corpore trepidè, inæqvaliter, ac fugitive peragendos, atqve congeſtiones theſauri vitalis circa abdita corporis, vergentes; ſæpe tamen & mortem accelerare poſſe, teſtantur varia exempla, ubi qvidem plerumqve Terror cum Triſtitia conjungitur, vel ſubito maximo mœrore aliqvis corripitur; uti accidit in Matronâ qvadam, qvæ cum à Tabellario literas accepiſſet, & inopinanter ex eis intellexiſſet filium ſuum dilectisſimum diem obiiſſe, adeò fuit mente commota, & cordolio proſtrata, ut vix perlectis literis, in lectulum ſe projiciens protinus ſyncope, deinde apoplexiâ correpta & extincta ſit. Notabile etiam exemplum apud Schenckium exſtat, de qvodam Juvene nobili, qvi ob crimen capitale in carcerem conjectus & ad mortem damnatus, ex mœſtitia, ac horrore mortis, unica nocte canitiem contraxerit. Ob triſtitiam abortum paſſam eſſe fœminam obſervavit Binningerus. *obſ. 11. cent. 4.* Qvod ex terrore freqventer contingit.

Th. XXIV.

Metus ac Terror, interdum ægroto levamen afferre in qvibusdam caſibus poſſunt, ſic ſcio aliqvando tertianam curatam fuiſſe; juvenis noſter qvidam laborans tertianâ, ex una in aliam civitatem, ad mutandum aërem, pedibus tendens, & milites è

lon-

longinquo obſervans, perterritus ab illis, ſibi metuens, febrim exinde non amplius ſenſit. Sic paralyticus per aliquot annos in lecto decumbens, dum fortè in ejus domo incendium exoriebatur, metuens ſibi à compoſitione, terrore mortis conatus ex flammis ſe eripere, motumqve ac ſanitatem inde recuperavit, & qvod medicamenta efficere non poterant, deſperatus animi motus præſtitit, narrante *Valleriola. l. 2. obſ. 4.*

Th. XXV.

Interim tamen Metus, & præſertim Terror, variorum morbornm cauſa ſæpiſſimè exiſtit, ut variis id exemplis illuſtrari poteſt. Juvenis enim qvidam, è cubili ſummo manè conſurgens, videnſqve flammas ab imo pavimento iterum atqve iterum ſurſum ferri, ex hujus rei horrore ac metu in febrim incidit. Sic Gravidam à ſeptem menſibus uterum gerentem, ob adiratum maritum pertimeſcentem, ictericam factam Binningerus annotavit. Imò ex metu aſſiduo & firmiter concepto, mnlti ſibi morbos contrahunt, â qvibus ſibi metuunt, qvod præſertim in peſte accidere ſolet.

Th. XXVI.

Ex Terrore repentino pueri præ aliis facilè in epilepſiam incidunt, ut per jocum tantùm incuſſus terror morbum talem producere posſit, quinimò ex aſpectu ſaltem cujusdam Epilepici, qvidam in eundem morbum incidunt. Inter alia refert Schenkius, mulierem qvandam ex terrore apparitoruu ædes irruentium, & maritum juſſu Magiſtratus ad carcerem poſtulantium, Epilepſiam incurriſſe, qvâ biennium integrum graviter afflicta, tandem eâ in paralyſin incidit. Admodum notabile exemplum videre licet apud Flor. Leudanum in Martyrologia, qvantum Terror in delicatioribus poſſit; qvædam enim religioſa, cùm incidiſſet in manus militum, & evaginatos gladios mortem intentantes videret, adeò territa fuit & commota, ut ſangvis ab omnibus corporis partium meatibus maneret, ita ut in oculis hoſtium exangvis effecta vitam finiret

Th. XXVII.

Qvantum Ira, Metus ac Terror in gravidis valeat, plurimis

conſtat exemplis; memorabile qvoddam Hildanus refert, de honeſta qvadam Matrona, qvæ cum gravida eſſet, ac qvadam die artogalanos avidè nimis appeteret, ancillæ verò eos, ut palato ſuo ſatis grati eſſent, minimè paraſſent, tædio correpta, ac in ancillas adirata, reliqvum geſtationis tempus multis cum doloribus & moleſtiis contrivit, tandem puellam, non tantùm ſupra modum debilem, ac extenuatam, verum etiam rei appetitæ ſignatam peperit. Alia cum primò utero geſtaret, & ſub initium ſecundi menſis impraegnationis ántè crucifixum transiret, nec non Latronis crura confracta diſtortaqve, attentè & nimis curioſè inſpiceret, eamqve ob cauſam cùm attonita, atqve commota eſſet, puellam ex dextro crure mirum in modum deformem poſtea procreavit. Sic qvosdam ex forti Animi Matris commotione, ſine capite, ſine brachiis, aliisqve deformitatibus multis, prognatos fuiſſe hiſtoriæ teſtantur; qvæ qvidem non tàm imaginationi, qvatenus actus eſt intellectus, ſed fortisſimis voluntatis commotionibus, & trepidis memoriæ repetitionibus, qvæ cum imaginatione tali conjuncta ſunt, adſcribenda eſſe exiſtimo: Generoſis ac intrepidis enim perrarò talia accidunt, etſi res qvàm maxime deformes geſtationis tempore videant; Picâ etiam ac malaciâ nunquam ferè tales laborant, ſed hi morbi magis delicatulis ſunt familiares, àc animabus otioſis, ut & Nauſea imaginaria, qvæ itidem varia ſymptomata, ut vomitum ac febres, producere, apta eſt.

Th. XXIIX.

Spes Fiducia, ut & Amor, ſi moderatus ſit, utilisſimi ſunt affectus, & multum, tùm ad ſanitatis conſervationem, tùm ad amiſſam reſtituendam, contribuunt; qvòd ſi amor limites excedat, non modo cachexiæ, ut & paſſionum hyſtericarum, ſed & graviorum aliorum morborum parens ſæpius eſt; inde qvidam ſi objecti adamati compotes fieri non poſſint, in gravem melancholiam inſaniamqve incidunt, qvod tamen non à ſolo amore provenit, ſed triſtitia multum ad ejusmodi affectus facit. Ex Zelotypia qvoqve ſuffocationem uteri mulieribus interdum accidere notavit Joh. Bapt. Montanus.

Th. XXIX.

Th. XXIX.

His ita ſe habentibus, pauca generalia tùm de præſervatione, tàm etiam de Curâ dicenda veniunt, & qvidem præſervationem ab animi paſſionibus & morbis exinde oriundis, qvod attinet, nulla melior datur, qvam ſi qvantum poſſibile, tranqvillitati animæ ſtudeamus, qvod nos docet doctrina Moralis, qvo in ſtudio eximiam operam præſtitit, *Vir ut verâ ſic & ſolidâ Eruditione præditus Dn. Thomaſius:* præprimis Sobrietate, Lenitate, ac fortitudine, animum roborare oportet, qvæ optima tùm contrà paſſiones pravas, tùm contra morbos ex iis oriundos, ſunt antidota. Et cùm paſſiones qvædam Animæ, ægrorum morbos multo periculoſiores ordinariè reddant, ut ſunt Ira, Metus, Terror &c. qvædam contra multum [ut ſupra jam notatúm eſt,] ad reſtitutionem faciant, ut ſpes, fiducia, hinc Medicus qvantum in ſe eſt, ſtudeat in patientibus poſteriores has excitare, medicamenta enim cum his animi motibus aſſumta, multo melius ac citius operantur; nunqvam autem ægroti ad intus aſſumenda medicamenta vi ſunt cogendi, præſertim ſi ſint iracundi, & jam valdè debiles, plus enim in tali caſu nocebit animi perturbatio, qvam medicamentum prodeſſe poterit.

Th. XXX.

Interim cum talia promtiùs ſvadeantur, qvam præſtentur, ex iis, qvæ facilius præſtari valent, maximè ſunt (1.) vitatio occaſionis, unde domeſticos etiam monere ſolemus, ne iracundis cauſas excandeſcendi offerant, aliqva ipſos celent &c. (2.) Freqvens & ſtudioſa, ad vincendum, aut leniendum ad minimum, impetum, aſſvefactio, qvod qvidem in terrore, timore, nauſea, otio, &c. non parum poteſt. (3.) contrariarum commotionum, præcipuè rationalium, ſubſidium, uti re verâ multæ à terrore, timore, irâ, actu jam cœptæ anxietates, palpitationes, lipothymiæ, &c. freqventiſſimè blanda conſolatione, promiſsâ ſecuritate, & facta fiducia, rurſus intercipiuntur, maximè verò de ira notabile eſt, qvod ſatiata rariſſime novum ulteriorem effectum inducat.

Th. XXXI.

Phyſicè verò ad temperandas illas commotiones, qvæ ab animi motibus in corpus diffunduntur, prout illæ vel excedunt, vel deficiunt, ita vel blandis ſopientibus & anodynis, vel contrà, nervinis ſtimulantibus & excitantibus hoc præſtatur, adeò qvidem, ut conſideratione minime indignus ſit locus, qvi eſt apud *Schulz. in triga Cinabr. ubi B.* Ludovici commemorat, medicamentum opiatum etiam in apoplexiâ cum utili effectu exhibitum, nimirum demulcente & placante efficaciâ, ut ab obſtinato propoſito deſerendi omnes motus avocaretur Natura, uti contrà, non negligenda eſt, Langii Miſcel. cap. V. Experientia de Apoplecticis per Sal Vitrioli vomitorium reſtitutis.

Th. XXXII.

Et hoc à priori, ubi ipſa Natura ſive Anima, magis immediatè demulcetur, qvibus ſi qvis analeptica alia, lætificantia, crocum qvoqve, ſpecialiter contrà terrores commendatum, imò ipſum vini largiorem potum, pro circumſtantiis, &c. adjungere velit, liberum eſto: A poſteriori verò, tùm cauſæ occaſionales in corpore, ſeu antecedentes qvoqve, præoccupandæ ſunt, tùm molimina illa motoria anomala, à pathematis concitata, qvantocyus opprimenda. Cauſas antecedentes, qvod attinet, certiſſimum hoc eſt, in corpore purioribus ſuccis, & juſta perſpirabilitate, prædito, minores conſeqvi noxas ab Animi pathematibus, qvam ſi hæc contrario modo ſe habeant, unde iracundis ſangvinem minuere, Phlegmaticis craſſiores ſuccos laxationibus, Diureſi, Diaphoreſi, ſubtrahere: Melancholicis ſpiſſum ſangvinem & minuere & reſolvere, humectatione qvoqve conveniente diluere, opportunis temporibus utiliſſimum eſt.

Th. XXXIII.

Effectus verò qvod concernit, in primâ herbâ ſuffocandos, ſi Ideam cauſæ ſuæ exacte ſervent, ut ab Ira commotiones acutæ, febres, choleræ, Cardialgiæ, vomitus, &c. à terrore, Convulſivæ trepidationes, pavores, lipothymiæ &c. recurrendum ibi eſt, ad illa, qvæ theſ. 31., allegata ſunt, cum in tali caſu Animus ipſe, affectus ſui qvaſi tacitè adhuc tenax exiſtat. Interim & materiæ at-

qve

qve parti, in qvibus gravius cooritur commotio, commodis medicationibus ſuccurrendum. Maximopere ſane optandum eſſet, ut exotica illa Indiarum Orientalium planta, Qvalancapatl, in noſtras quoque regiones, inter tot longe minus neceſſaria, deportaretur, cujus abſolutam efficaciam, adverſus iracundiæ noxas, tantopere deprædicant Scriptores: Interim in illius defectu Rhabarbarinis, & Cinabarinis contentos eſſe oportet, & generalioribus aliis. Reticeri tamen non debet remedii genus ſolertiſſimo Practico D. Hermanno, Calæ Altenburg. Phyſico, familiare, qui exceſſive in iram prolapſis, oculos cancr. ad unc. ſem. ita aſſumendos præbet, ut ſingulis 2. l. 3. horis drach. j. inde deglutiant, unde alvus ipſis laxari, & plurima flaviſſima egeri ſolent. Studioſe verò cavendum, ne iracundis, mox in principiò regimen ſudoriferum præſcribatur, ſed potius abſorbentibus & abſtergentibus, inter quæ Nitrum eminet, tractentur: Vomitus etiam, ſi nihil contraindicet, non inutilis eſt, præcipue ſi cardialgiæ majores ſeſe exerant; optimus verò & pæne inevitabilis, ſi mox ante vel poſt dapes coorta ira, turbas dederit. Cæterum ſi iram ſuam ſatiare non poſſint, juvat in tantùm eandem approbare, & qvaſi fovere qvoad ſenſim deferveſcat; aut ſi ferat occaſio, mox in jocos & hilaritatem transmutare, qvod multis profuiſſe vidimus, minime tamen æqve inſigniter, ſi mali effectus jam prævaluerint, qvam anteà. Jam prævalentes affectus ſpeciei ſuæ ſeorſim convenientibus remediis deinde tractandi ſunt, iis, quæ hactenus dicta, prudenter conjunctis.

Th. XXXIV.

Terrori, quæ ſanguinem valide diſcutiunt, conducunt, quo etiam Corroborantia ſive analeptica & variæ ſpecies lætificantes, de gemmis, Crocatæ, Corallata remedia, ſpectant, ut & ſalia volatilia oleoſo-balſamica, aromatica, ambrata, &c. In Cholerico-Melancholicis à grandi Terrore & Timore, ut ſpectrorum urgentium, ſi delirii [citrà febrem] conjungantur veſtigia, venam ſecare utile eſt, præcipue ſi qvaliscunqve ſangvinis copia appareat. Univerſalia qvoq;, alvi ſucceſſus, Diæta congrua, præcipue verò ejusdem generis Pathematis evitatio, ſub morbis à pathemate ortis, ſtudioſe obſerventur.

Th.

Th. XXXV.

Pathemata animi, à Corporis læſionibus oriunda, gravia profecto ſubinde & pertinacia, cum tamen cauſæ ſuæ Corporalis remotione abigenda ſint, qvorum ſigillatim rationes afferre hujus loci non eſt, propterea hactenus dictis propoſito ſatisfeciſſe confidentes, Theſes noſtras hiſce conſummamus.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

1. Anima ſibi ipſi fabricat corpus, id nutrit, & omnia in & cum eo propter certum finem agit, qvamvis interdum à fine aberret.

2. Graves Errores Animæ gravia in Corpore Symptomata inſeqvi neceſſe eſt.

3. Medicina abſqve relativâ conſideratione Animæ, & cognitione ejus affectuum, admodum mutila eſt.

4. Nemo Animi affectus bene cognoſcere poteſt, niſi cognoſcat ſe ipſum.

5. Medicina fundamentis nititur ut plurimum â poſteriori petitis, & pauca admodum in ea ſunt, qvæ à priori demonſtrari poſſunt.

6. Dari Medicamenta Univerſalia, admodum probabile eſt.

7. Qvo generoſius medicamentum, eo pejor ejus præpoſterus uſus.

8. Venæſectio non modo utilis, ſed & ſæpe maximè neceſſaria eſt.

9. Ille qvi idem medicamentum, eodem morbo laborantibus indifferenter propinat, ſine diſcrimine perſonarum, & temporum, ſæpe plus nocet, quam prodeſt, medicamento alias optimo, eò qvòd Temperamentorum & temporum diverſitatem non diſcernat.

10. Multa legiſſe ac ſcire uti non faciunt virum doctum, ſic & Medicum ſæpe parum juvat, & meritò præfertur in eo bonum judicium, optimæ memoriæ ac multarum rerum cognitioni.

11. In materia medica plurima ſunt, qvæ Medicinam difficiliorem qvidem Tyroni reddunt, quæ tamen utilitatis parum habent, ſcitu itaqve non adeò neceſſaria ſunt, & centum fortè ſimplicia ſufficere Medico poſſunt.

GEORGII ERNESTI STAHL, M. D.
THEORETICES PROF. PUBL. ORDIN.
p. t. FACULTATIS MEDICÆ
DECANI,

PROPEMPTICON INAUGURALE

De

ΣΥΝΕΡΓΕΙΑ NATURÆ
in medendo.

HALÆ,
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII,
Regiminis Elect. Brandenb. Typogr.

CRISEOS ſive JUDICII vocem, quamobrem in Medicas appellationes retulerint priſci Artis Myſtæ, ſi ab ipſorum adhuc temporibus, dilucido aliquo & benè explicato documento innoteſceret, valeret ſine dubio id ipſum, ad demonſtrandum, quod Medica Praxis longè plus Prudentiæ in ſuo Cultore requirat, quàm abſolutæ Scientiæ & artis tantùm. A *foro* quidem transſumtam eſſe vocem, monet *Galen.3. Progn. t. 1. & 3. de Criſ. c. 2.* ſimulque generales quasdam ſimilitudines producit. At verò ſi exactè conferre negotia voluiſſet, diluxiſſet è veſtigio, quantò impeditior hæc *Judicatio* præ qualibet *forenſi*, exiſtat. In *forenſi* ſanè *judicio*, vel *Gentium jura* valent, ſanæ rationis æquitati conformia, vel ſi à *Conſtitutionibus* reſtringantur, quarum non ſtatim exacta ratio pateat, *poſitiones* tamen ipſæ utique ita ad populi notitiam publicè perveniunt, ut hæc ſibi neceſſariò obſervanda eſſe, ſatis certò ſciat: Contrà has *legum* regulas ſi quis reus peccavit, aut Magiſtratus contrà ipſas jus dicit, ille, pœnam incurrit, hic notam, adeò ſanè publicam & manifeſtam, ut Advocatus facilè cauſas oſtendat, quare judicio ceciderit ſuus Cliens, & à ſeipſo omnem culpam promptiſſimè amoliatur. At in illo judicio, quod in *morbis* obtingit, tanta eſt iniquitas, ut pleraque ibi libidini nudæ pateant, neque ut ex re publicâ totius Corporis, jus dicatur, ſed potius ad privatorum, & ferè perditiſſimi cujusque, (ſenſuum puto) ſtrepitum, diſtorqueatur. In *foro* electio eſt judicis, & prudentes legumque probè gnari viri, officio tali præficiuntur; In *morbis*, ſeditioni ſimillima eſt diſceptatio, quot ægri tot judices, quot capita, quot ſenſus, tot iniquæ legum interpretationes, imò neglectiones, violationes. Juſtiſſima tamen hîc quoque viget electio, quod quilibet ſibi ipſi potiſſimum judex præficiatur, ut ſi quid per libidinem, præcipitantiam, intemperantiam, negligentiam, violentiam, inique decernat, rem judicatam ſuam eſſe ſentiat. Infelicior interim *Advocato* forenſi hîc eſt *Medicus*, quod inter humanum genus, negligentiſſimum legum vivendi, cauſas oret. Leges ſi citat, impudenter (quamdiu impunè) injuſtas eas & intolerabiles calumniatur ſenſuum libido; Inutiles & ſupervacaneas diffamat temeraria aſſuetudo, & ſtulta ſecuritas, perpetuam amneſtiam ex præteritâ Naturæ patientiâ, ſibi promittens: Contemnit eas, ut incertas & inſtabiles, inſana audacia, & vel uno exemplo, licet rariſſimo, inſtat,

non

non ſtatim mori, qui non obediant: Abſurdas denique ridet, diſſoluta & effrænis voluptas, & cum utique moriendum ſit, ad leges vivere, infrà ſervorum tolerantiam arbitratur. Sanè ſi horum quicquam perpetuò ſentirent mortales, beatus foret Medicus, à nullo enim talium appellaretur: Interim apud Prudentes, temperantes, attentos, morigeros, optimè ſemper verſaretur, vel ſanando, vel prædicendo ſecundùm leges, ibique artem, hîc ſcientiam, luculenter demonſtraret. At cum inter ſtultitiæ primarias proprietates illa ſit, ut nihil diu ipſi placeat, ita hîc quoque, protervisſimus quisque in conciliabulis, ſi à lictore citetur, ibique non faſces tantùm, ſed ſecures quoque, Dictatorium præterea & ſine provocatione imperium eſſe, recordetur, tanta ſubitò deſperatione corripitur, ut non modò per Advocatum, ſed omnia, agere inſtituat. At in cauſa peſſimâ patrocinari, ut in ſe deſperatum, & plus in Confeſſione erroris, & emendationis ſponſione, quàm in ulla excuſatione, eſt Spei: Ita ſi in his quoque denuò interpellet Advocatum, & in judicio quoque ſeditioſum ſe gerat, quis hunc jure cædi non agnoſcat? Ad rem ipſam à ſimilitudine tranſeamus.

ΣYNERGIAN vocant Medici illam operationem in Corpore humano *vivo, ægrotante,* quâ *Natura* ad Medicamenta *concurrit*; ENERGIAN dicere debent, quando *ſine Medico* curat ipſamet morbos. *Modus,* quo vel concurrit, vel ipſa, ſine adjumento, agit, MOTUS eſt. *Motus*, inquam, *Vitalis*, *Correctorius*, *Secretorius*, *Excretorius*. Quemadmodum enim *Vita*, ſeu *Conſervatio Mixtionis Corporis* ſolertiſſima & vigilantisſima, abſolvitur *Motu ſanguinis*, (negotio, poſt fortuitam detectionem, & operoſam perveſtigationem, proh! quàm nihil condignè evoluto) Motus ſanguinis, *motu partium ſolidarum*, eoque *Vitali* (à voluntate ſenſitivo-rationali non dependente) & *finis* hujus Motus, *internus*, eſt alienorum vel *ſubactio* & aſſimilatio, vel *Secretio* & *Excretio*. Ita etiam *Præſervatio* & *reſtauratio Vitalis* iisdem *mediis* adminiſtratur, aliena vel ſubigere & *corrigere*, vel *ſecernere & excernere*, aſſuetis. Variatur verò *gradu*, & quidem *proportionato ad objectum*, ut, qui inter *levia lenis, æqualis, placidus* ſervatur, contrà *inſoleſcentia, intenſior, & intentiùs*, dirigatur: *Genere* interim nihil alienus. *Intentio* verò videtur plus quàm *Vitalis*; reverà enim *æſtimationi morali* magis ſuperſtrui apparet, cum *intenſiones Motuum* non tàm ad proportionem *Phyſicam* cauſæ lædentis, neque ad *actuales* ipſius effectus, dirigantur, ſed magis ad *dignitatem* partis, & *imminentem* demum ſpeciem læſionis, comparentur. Cæterum neque ſolas conſuetas vias abſolutè eligit, ſed *novas* quo-

que invenit. *Temporis* verò menſurâ, utitur, non eâ tantùm, quæ in genere *objecto* quadret, ut *efficacia citò, ſegniora otioſiùs*, emoveat; ſed & *propriâ* ſuâ Chronometriâ gaudet, quam aliàs, in pacatis *Vitalibus* progreſſibus, amplioribus ſpatiis obſervat, per *Septenarios & novenarios*, quibus formationem, partum, dentitionem, pubertatem, &c. circumſcribit. His omnibus ſi emotionem Cauſæ lædentis expeditè perficere poſſit, non modò ſubigitur cauſa continens morbi, & proſcribitur, damnumq; illatum reſarcitur: ſed rediguntur denuò in ordinem pacatum naturalem, placidum, omnes *Motus*, & antiquo vigore & ſecuritate peraguntur omnia in Corpore munia. Sin *impediatur*, à *materiæ* morbificæ conditione *anomalâ, viarum* vitio, *humorum* ad corruptelam prædiſpoſitione; aut *perturbetur* in *intentione, vel actione*, per confuſiones vel avocationes *Patheticas*, aut per imprudentes ſive *ſtimulationes* vel *cohibitiones*, *Medicas*: Tunc perperam ſuccedit *pugna ſeu reactio* contrà morbum, prævaleſcit nocumentum, trepidatur, deſeritur ſtatio, fit fuga. Si verò ipſamet hæc ENERGIA *à priori* perverſa, & *malis conſuetudinibus* corrupta ſit, ut nihil *placidè*, nihil *attentè*, nihil *aſſiduè*, nihil *ordinatè*, nihil *tempeſtivè*, nihil *patienter*, perficere & agere ſuſcipiat, ſed *turbulentè, vagabundè, atrociter, præpoſtere*, moliri docta ſit, aut *trepidè, anxiè, quid* agendum dubitet, *quomodo* agendum in confuſione non inveniat, *quando* agendum, præ trepidatione non penſitet, *quibus viis & organis* commodè perficiendum, præ inconſtantiâ non deligat: Ibi *incongruæ, intempeſtivæ, inconſtantes, irregulares, immoderatæ*, Commotiones, mox deſperabundâ quiete obſignantur.

Hîc habet Medicus quod diſcernat, in quo judicium ſuum exerceat, prudentiam exhibeat; *Commotiones*, quæ *à Morbo* fiunt, & quæ *propter* Morbum fiunt, acutiſſimè ſejungat: *Symptoma à Synergia, Paſſionem* ab *Actione, Nocens à Juvante*, peritiſſimè diſtinguat. *Motus* ad *utilem* finem vergentes, agnoſcere diſcat, juvare, promovere; *Correctiones* materiæ facilitare, imò quantùm poteſt, ipſe præoccupare, laboret: *Vias*, præcipuè ad quas maximè vergit *Cooperator*, expedire nitatur. Si, *per errorem* hujus, minus congruæ ſint viæ, ad quas tendit, *placidè* & modeſte aliorſum invitet; *Commotiones* ipſius *nimias*, placare, mitigare, demulcere intendat: *Errabundas* & inſtabiles, in viam revocet, eamque ipſi repurgare & proclivem reddere quærat: *Trepidationes* axias, deliras, *deſertiones* lipothymicas, quocunque poſſibili modò conſoletur, reſtauret, reficiat: Si in his omnibus refractarium videat *Collaboratorem* ſuum, certo & veraci *Prognoſtico*, prodi à *Socio* rempublicam, maturè denunciet.

Habere

Habere ſe ita hæc omnia, à *Practico* ſolerti & *perito*, nullo uſpiam dubitari, ſatis certus ſum. *Praxi* verò ſolerti, & *Pathologiâ Experimentali* atq; ſolidâ, qui caſſi ſunt, in otioſis generaliſſimis Phantaſiis, ut muſca in melle, hærentes, nænias occinunt, quæſtiunculas movent: Itane hoc Σύνεργον *propter finem* movet? *Ordinatè* ad finem, movet? quid utile ſit Corpori, quid noxium, *præſcit?* quomodo averruncare oporteat, *novit*? Itane in *Brutis* quoq; eſt aliquid *propter* finem agens, *ordinatè* ad finem agans, *ſciens* &c.? Ad quæ, uti reſpondere non operoſum, non reſpondere, non arduum, eſt, Ita paucis quæſtiones ſolvi poſſunt. *Quid ſequatur, Tu videris*; Præmiſſæ, ſunt veritates Experimentales, è quibus, omnes reliquas prætereundo, illas ſolum penſita: *Quomodo negotia vitalia citisſimè & violentisſimè in Motu ſuo alterentur, ab objectis merè imaginariis, nullo, nedum Phyſico, modo, realiter Corpus afficientibus, aut ullum Principium Materiale.* Hoc tibi elucubra; nobis, quorum nihil intereſt, utrum illa, quæ tu times, ſequantur nec ne, in hujus generis argutiis ludere non vacat. Nos, in *Homine* ab *unâ* animâ, omnes actus & motus perfici *poſſe*, à priori, *Ratione*: *actu* perfici, à poſteriori, *Experientiâ & Ratione*, non ſupponimus, ſed *demonſtramus*.

Interim non eum in finem hæc me prolixè ſtatum inare quisquam opinetur, ut ſententiam meam obtineam, aliorum opiniones, explodam, ſubſannem, proſcribam; Non in eum quidem finem, ut merè ſcientificè tantùm demonſtrem, ita non aliter hæc ſe in Corpore habere, & in eâ veritate hiſtoricâ acquieſcam: Sed eum in finem, ut tandem aliquando Scientificè & Syſtematicè hæc *Medicæ Scientiæ & Artis pars* confirmetur, de quâ jam à tot retrò ſeculis nihil niſi ſparſim traditum, in noſtris verò propioribus temporibus, proh fata! propemodum planè deſcitum eſt, ut ingentia illa Inventa, Motus ſangvinis Circularis, & Mechanico-Phyſica hujus efficacia, potiùs in opprobrium ſagacitatis noſtri ævi, quàm in ullam gloriam hucusque cedant. Eum in finem hæc urgeo, & ſi DEUS adſtiterit, evincam, atque demonſtrabo, ut Medicos faciam, non frivolos, arrogantes, temerarios, mendaces, impudentes Empiricos, qui Motus violentos in Corpore imprudenter concitent, ſine ullâ generalium, nedum ſpecialium, opportunitatum, conſideratione; Opportunos motus, ſtolidè & frivolè opprimant, Naturam pro morbo oppugnent: Si morte ægri vicerint, præmium, ſi eluctante robore naturæ ipſius, vincantur, ultrà præmium, etiam magnas laudes & gratias exigant; Abundè eſt talium, & ſponte naſcuntur, otio, fabulis, nugis. Viris alia calcanda eſt via, &

non ex vanis recitatiunculis credendum, ſed ad veritates *Experientiæ Practicæ* reſpiciendum, Quid ſint *Motus* in Corpore, ediſcendum? *quales* fiant, perſpiciendum? Quem ad *finem* tendant penſitandum? an *utilis* ille, aut ad minimum *minus noxius*, quam alius, examinandum? Et ex his omnibus tandem ad PROBLEMA illud ſolvendum, connitendum eſt, nempè: *Annon, & quinam affectus in Corpore humano cooriri ſoleant,* Motibus *plurimùm ſtipati, in quibus hi* Motus, *à vulgo Medicorum, directè pro ipſo Morbo, aut primario ejus Symptomate, venditentur & tractentur, qui è contrario, ab ipsâ Naturâ, ex intentione deſtinatâ, Phyſico-mechanicâ aptitudine, utiliſſimè adminiſtrentur, quibus ſubvenire, iisq; Naturæ Miniſtrum & Collaboratorem ſeſe præbere Medicus debeat, eoq; ſecuriſſimam Certiſſimam, & conſtantiſſimam Medicationem perpetrare.* Hoc eſt illud argumentum, quod *Practicis* ſolertibus plurimis, ab *Experientia* ſatis cognitum eſt; In quod animum & operam intendo & impendo, neque laborem, neque invidiam faſtidiens: Hoc tandem aliquando condignè evolutum, & cum eo *verum* Medicinæ *Fundamentum* reſtitutum iri, ſpero & quæro: Inde non magis Curationis, quàm accuratioris Prognoſeos ſplendorem & exiſtimationem reſtauratum iri, confido.

Quemadmodum vero Συνέργεια noſtra, in Corpore cæteroquin benè ordinato, & Motuum Vitalium tenori adſueto, benè & feliciter procedit; Ita, ſicubi vel Corpus præpeditum ſit, operoſior, ſi verò ipſum *Principium Cooperans* perturbatum, inordinatior & turbulentior evadit concurſus. Alteratur autem maximè *Vitalium Motuum tenor* & *Conſtantia*, à *priori, Animi Pathematibus*, vel fortuitis magis, vel magis arbitrariis, quæ *Conſuetudinis* nomine complecti ſolemus, ſummæ in Praxi conſiderationis. Poſſet de horum Pathematum noxis, quas ENERGIÆ & SYNERGIÆ Vitali afferre ſolent, prolixius agi, niſi hoc ipſum argumentum ſibi ſumſiſſet Clariſſimus

D. JOHAN. JACOBUS REICH, Cron-Weiſſenburgo-Palatinus,

Medicinæ Doctorandus digniſſimus, de cujus genere & eruditione ut potiora, more laudabiliter recepto, recenſeamus, Natus ille eſt felicis quondam Alſatiæ, in Urbe florentiſſimâ, Kron-Weiſſenburg. Patre Viro Plur. Rever. Ampliſſ. & Doctiſſimo, Domino JOH. JACOBO REICH, Theologo & Eccl. Miniſtro Frankenthal: ultimò & Concionatore Aulico Electorali Brandeburgico in noſtrâ hâc urbe, ſpectatiſſimo, nunc beato: Matre omnibus Virtutibus Matronalibus præſigni, Dominâ Magdalena

Catha-

Catharinâ, Heuſchiâ. Ab hiſce Parentibus honoratisſimis, non modò ab ipſis usque Cunis in pietatis & optimorum morum exercitio educatus, ſed & bonarum artium officinis publicis, ſcholis liberalibus, commisſus, ad omnem bonam ſpem adolevit, quoad, anno M DC LXXXIX. menſe Februario Jenenſem Academiam adiret, ibique altiùs excolere Studia feliciter fundata elaboraret, ubi etiam Philoſophica & Philologica ſtudia ſtrenuè excoluit, Excell. Dn. SCHMIDII, Prof. Publ. famigeratiſſimi manuductione, in Matheſi, Phyſicâ, & Philoſophiâ Inſtrumentali cum ſummâ utilitate ſuâ, potitus: Anni M DC XC. æſtate in urbem noſtram evocatus, maximo ſuo commodo & profectu Excell. Dn. THOMASIUM, JCtum & P. P. famigeratiſſimum, in Logicis & Moralibus Lectionibus occupatum, & Phyſicæ cognitionis primordia ad Benedicti Creatoris Contemplationem revocantem, ſedulus audivit, eoqvè ipſo ad acrius ſtudium & deſiderum Phyſico-Medicæ ſcientiæ inſtigatus, privatis lucubrationibus, iisdem anxiè inſudavit, idqvè tantò intentiùs egit, cum Anno M DC XCII. ex voluntate honoratiſſimorum Parentum, Grœningam Friſiorum adiret, per annum ibidem moratus, & ſtudiis ſuis intentam operam navans. Seqvente anno Hollandiam Angliamq; perluſtravit, ibiqvè tàm Anatomicis, qvàm Botanicis, Chymicisq; curioſitatibus inſpectandis, ſex menſes conſumſit, in Angliâ præſertim, qvatuor menſibus, domo & convictu Medici Practici feliciſſimi, Dom. Mandevill uſus. Inde Halam noſtram reverſus, ſtudiis ſuis in arte Medicâ perpoliendis unicè incubuit, eoqve nomine Excell. Dn. HOFFMANNUM, Med. Doct. famigeratisſimum, ſolum tunc temporis Phyſicæ Medicæqve Profesſionibus præfectum, Collegium Privatum Curioſum, [Experimentorum Phyſico-mechanicorum demonſtrationem, & applicationem ad Phyſico-Medicam Mechanicam, exhibens] pandentem, ſollicitè audivit, indeqvè multam proclivitatem, ad percipiendas abſtruſiores actiones & paſſiones Organorum Corporis, diligenti memoriâ repoſuit: Sectiones etiam in utriusqve ſexus Cadaveribus celebrantem, ſedulò ſectatus eſt. Me, cum anni proximè elapſi M DC. XCIV. menſe Junio, à Sereniſſimo atqve Potentiſſimo ELECTORE, Domino Domino noſtro Clementiſſimo, gratioſisſimè evocatus, huc veniſſem, paucis ab adventu diebus modeſtiſſimè affatus eſt, ſuorumq; Studiorum progreſſus & ſucceſſus diſcurſu erudito adumbrans, Conſilium circà qvædam in Doctrinâ noſtrâ Medicâ altiùs recondita, eruenda, ſollicitè expetivit. Cui etiam laudabiliſſimæ ejus, [& utinam freqventisſimè inter diſcentes reperiundæ] ſolertiæ, propriis

lucu-

lucubrationibus proficiendi, liberali Hodagogiâ ſuccurrere, & tùm temporis, & maximè poſteà in hos usqvè menſes, elaboravi, ipſiusqve non magis ſagacitatis, qvàm ſolertisſimæ Capacitatis, teſtimonium dicere teneor. Adfuit Collegio noſtro Anatomico, hyeme præteritâ adminiſtrato, Et applicationes Phyſiologiæ verè Medicæ ad Pathologiam & Praxin, qvas publicis Lectionibus tractavimus, audire atqve penſitare minimè neglexit: Privatisſimè verò, Commentationes de Praxi Medicâ Clinicâ, preſsè ad Indicationes reales, per Methodum medendi ad Synergiam Naturæ relatam, & remedia ſelectiora, adminiſtrandâ, non magis auribus, qvàm mente percepit, & cum Scriptis Practicis tàm hiſtoricis qvàm Therapeuticis, ſedulo comparavit. Qvibus omnibus cum animus ad Praxin pleniorem auſpicatò tractandam atqve exercendam ſtimularetur, Facultatem, honores, atqve Privilegia Arti noſtræ à ſummis Mundi Poteſtatibus deſtinatas, modeſtisſimè petivit. In ſpem hujusce deſiderii obtinendi, cum tentamina conſveta ſubiiſſet, tàm Phyſicam, qvàm Medicam Hominis, & ſani & ſanandi, cognitionem, abundè exhibuit, & pulcherrimos in arte profectûs exſeruit. Qvorum intuitu cum aditum ad honores, præfixos habilibus atqve dignis, pandere eidem teneamur, qvod ſupereſt, publico qvoqve ſpecimine Eruditionem ſuam ut declaret, paratisſimum ſiſtimus. Proponit ventilationi eruditæ Diſſertationem de ANIMI AFFECTIBUS, eorumqve in Medicinâ arduis effectibus. Defendet eandem, ſub noſtro Præſidio, proximo Maji, in Auditorio Majore, Horis antè-atqve Pomeridianis. Huic itaqve Actui, ut Magnificus Academiæ Pro-Rector, Illuſtriſſimi Comites, Splendidisſimi Academiæ Proceres, Hoſpites, atqve omnium ordinum, Literarum bonarum Cultores atqve Fautores, gratioſè & benevolè intereſſe dignentur, nomine Facultatis decenter & officioſè rogo. P. P. Sub Sigillo Facultatis, Tertio Calend. Majas, Anno M DC XCV.

(L. S.)